

Ill/mo et R/mo Card/li Belarminio.

Quae haec tam obvia humanitas tua est (Cardinalis Illus/me) quod ultra appetendum mihi fuit cum hac Coadjutoria amicitiam et benevolentiam tuam (qua nihil quicquam gratius accidere potest a talibus *5* viris) sic conferas liberaliter? Fama, literae, linguae tuae, haud tam alte me tangunt, quam juvant et penetrant zelus ille tuus edax tuitionis Ecclesiae et fidei, et charitas illa in salutem animarum incredibilis quae sic faces et ignem mittit in terram universam ut Ecclesia ipsa pene ardeat, cujus cimmerias inter tenebras et splen- *10* dorem simul sentimus et ardorem, sentit et orbis universus. Amat enim liberalitas illa tua ad plures se porrigere etiam absentes, sic ut non immerito dixerim transire in alias Provincias vigilantiam tuam, et in hoc curae tuae latitudinem diffundi ut longe positorum consoletur angustias hincque fieri ut (quia crebro te non minus *15* absentem quaerimonia quam praesentem verecundia moveat) saepe absterseris eorum lachrymas quorum oculos non vidisti. Ego non unus illam expertus sum *φιλανθρωπίαν*. quae me ad tantum honoris evexit gradum ut Ignatio texte *ἐπὶ τὸ πάντων ἀγαθῶν ἐν ἀνθρώποις ἀναρρηκός*. Et non unus meritis tuis in votis habeo honorem supremum mundi deferri, *20* si in scelerum nostrorum poenalitatem et vindictam aliquid humanitas Pontifici Summo contingeret (quod Deus obnixe praecatus avertat). Sed ne cum tanta jactura christianorum coetui obveniret interitus, humeris tuis aptissime sederet pontificatus, tibi Ecclesiam et te Ecclesiae divina clementia largiendo eo ipso futurus charus omnibus *25* ac desiderandus quod prospicias ne in maximo charitatis quocunque officio desidereris, quantum unusquisque praedicaret se satis vixisse, si te intueretur *ὡς ἀρχιερέα, Θεοῦ εἰκόνα φοροῦντα κατὰ μὲν τὴν ἀρχὴν Θεοῦ, κατὰ δὲ τὸ ἱερατεύειν Χριστοῦ*. Immo magis esse vivendum alii praedicarent. Agnosco autumn~~o~~ tibi non Card/li nec Moecenati di- *30* ci. Ego vero laborabo interim quantum in me erit ut epistolam hanc totam ad modestiam tuam moderationemque submittam, non minus consi-

/derando quid oculi tui pati possint quam quid virtutibus tuis de-
beatur. Et quod ad me attinet antiquam ad hunc Episcopatum aggres-
sum me ingenue fatebor viam, ut non me propria cupiditas sed aliena
impulerit utilitas, et cum proprius retraxisset salutis metus, Deo
5 et te duce alienae salutis timor animabit ut non tam accepisse quam
dedisse beneficium in die novissimo gaudere possim, et ut communica-
to Episcopio ego sollicitior et illud securius ab haereticorum prae-
da fiat, ruina ejus super me placito summi hierarchiae et diligen-
tia tua delata. Consecutus sum quidem quod in istis plagis est am-
/10 plissimum; foelicius tamen erat illud quod reliqui cum privatus esse
desii; nunc enim assumar in laborum curarumque consortium. Sed dura
et aspera non retrahent a capescendo Dei gratia concomittante et ef-
ficaci pro quo beneficio gratias acturus non tam vereor ne me in
laudibus tuis parcum quam ne nimium putes. Haec me cura, haec diffi-
/15 cultas sola circumstat; nam merenti gratias agere facile est (Card^{lis}
Ill/me). Illud solum vereor ne gratus ingratusve videar prout satis
aut parum dixero quare pro arrha tantae charitatis erga me et Grat-
tionopolitanam Ecclesiam, in collatione Coepiscopalis hujusce digni-
tatis obsequium et amorem quantum in me est offero, cum proverbium
20 id non parvi duxeris לך של חן וחסד ורחמים. Quapropter spondeo futurum
ut prius a me excidam quam ex animo meo tu tam proclivis ad benefi-
cientiam cui ita me devinctum scio ut nunquam vincar in amoris cur-
su aut officii humillimi obsequio.

Illustr/mae et R/mae

D. V.

25

Servus humillimus et obsequentiss/us

Alphonsus E. Chalcedonen.

Datum Lugduni pridie nonas septembris

Anno salutis 1614.